An. et vol. XXXVII 25 Iulii 1945 (Ser. II, v. XII) - Num. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM. — Acta Pii PP. XII: Constitutio Apostolica, p. 177 - Epistulae, p. 180 - Nuntius radiophonicus, p. 189. — Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: I. Decretum, p. 193 - II, III. Citationes edictales, p. 196. — Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni varie - Segreteria di Stato: Nomine - Necrologio, pp. 198-200.

Conto corrente con la Posta

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XLV

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 100 — extra Italiam, *L. it.* 200 —

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 15 — extra Italiam, *L. it.* 25 —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXVII, n. 7 - 25 Iulii 1945)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

PAG.

Bathurstensis (Edmunstonensis). - A dioecesi Bathurstensi territorii pars dismembratur, ex qua nova erigitur dioecesis Edmunstonensis, Metropolitanae Ecclesiae Monctonensi suffraganea. - *16 Decembris 1944* . . 177

EPISTULAE

I. *Au moment.* - Ad Emos PP. DD. Cardinales et Excmos ac Revmos Archiepiscopos et Episcopos Galliae. - *6 Ianuarii 1945* 180

II. *Ut tibi tisque.* - Ad Illustrem et Venerabilem Virum Vladislaum Andera, Polonorum in Italia Militum Praefectum Generalem. - *27 Ianuarii 1945* 183

III. *Cum proxime.* - Ad Excmum P. D. Bernardum Griffin, Archiepiscopum Westmonasteriensem: saeculo exeunte a Ioannis Henrici Newman reditu ad Catholicae Ecclesiae unitatem. - *18 Aprilis 1945* 184

IV. *Dum post innumeros.* - Ad Excmum P. D. Ioannem de Jong, Archiepiscopum Ultrajectensem, ceterosque Hollandiae Episcopos. - *12 Maii 1945* 186

NUNTIUS RADIOPHONICUS

PAG.

Ad christifideles ob centenaria sollemnia Sodalitatis a precationis apostolatu in Basilica Urbis Parisiensis Sacro Cordi Iesu dicata condunatos. - *17 Iunii 1945* 189

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

I. Decretum. De ordinando studio Sacrae Romanae Rotae. - *8 Iunii 1945* 193

Citationes edictales:

II. Romana. - Nullitatis matrimonii (Cerreto-Saetti). - *5 Iulii 1945* . . . 196

III. Romana. - Nullitatis matrimonii (De Angelis-Sgambati). - *19 Iulii 1945* . 197

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 198

II. Segreteria di Stato: *Nomine* 199

III. Necrologio 200

An. et vol. XXXVII 25 Iulii 1945 (Ser. II, v. XII) - Num. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

BATHURSTENSIS
(EDMUNSTONENSIS)

A DIOECESI BATHURSTENSI TERRITORII PARS DISMEMBRATUR EX QUA NOVA ERIGITUR DIOECESIS EDMUNSTONENSIS, METROPOLITANAE ECCLESIAE MONCTONENSI SUFFRAGANEA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad animarum bonum satius provehendum quam maxime interest dioecesium circumscriptionem ita ordinari, ut fidelium necessitatibus pro locorum adiunctis apprime respondeat. Quod quidem perpendentes, lubenti animo excipiendas duximus venerabilis Fratris Camilli Le Blanc, hodierni Episcopi Bathurstensi in Canada, preces, quibus a Nobis enixe expostulavit, ut sua dioecesis, nimio territorio patens, dismembretur et nova exinde constituatur dioecesis, alteri vigilanti Antistiti concredenda. Quapropter, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Consistoriali praepositorum consulto ac suffragante venerabili Fratre Hildebrando Antoniutti, Archiepiscopo titulari Synnadensi in Phrygia et in Ditione Canadensi Delegato Apostolico, et suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine a dioecesis Bathurstensis

territorio civiles separamus comitatus *Madawaska, Victoria* et partem occidentalem comitatus *Restigouche,* vulgo *Restigouche Sud* nuncupatam, usque ad lineam parallelam 67, ubi duae exstant paroeciae: *St. Quentin* et *Kedgwick,* et duae missiones: *Lauvrière* et *St. Olivier;* atque e territorio ita avulso novam erigimus et constituimus dioecesim, quae « *Edmunstonensis* » appellabitur. Novae huius dioecesis sedem episcopalem in *Edmunston* urbe, a qua dioecesis ipsa mutuatur nomen, constituimus; Episcopi vero cathedram in templo, Deo in honorem Immaculatae Conceptionis B. M. V. dicato, ibidem exstante, figimus, quod proinde ad ecclesiae cathedralis gradum et dignitatem evehimus; cui atque Edmunstonensibus pro tempore Episcopis omnia tribuimus iura, privilegia, honores, insignia, quibus ceterae per orbem episcopales sedes earumque Praesules iure communi fruuntur, illosque pariter omnibus adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur Novam insuper hanc Edmunstonensem Ecclesiam suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Moctonensi, et Edmunstonenses pro tempore Episcopos metropolitico Archiepiscopi Moctonensis iuri subiicimus. Praeterea usque dum Capitulum Cathedrale constitui nequeat, indulgemus ut pro Canonicis dioecesani Consultores ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Quod porro ad dioecesis Edmunstonensis regimen, administrationem, Seminarium, clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi attinet, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod vero ad clerum peculiariter spectat, decernimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Mandamus denique ut documenta omnia et acta, quae novam dioecesim respiciunt, a Cancellaria dioecesis Bathurstensis Curiae novae dioecesis Edmunstonensis quam primum tradantur, ut in huius archivo diligenter serventur. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem Hildebrandum Antoniutti, in Canadensi Ditione Delegatum Apostolicum, delegamus eique facultates ad id necessarias et opportunas tribuimus, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus facimus ad Sacram Congregationem Consistorialem authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar, quam primum fas erit, transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis

vitio, seu intentionis Nostrae vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo quarto, die sexta decima Decembris mensis, Pontificatus Nostri anno sexto.

Pro S. R. E. Cancellario

I. Card. GRANITO DI BELMONTE
Decanus S. Collegii

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXIX, n. 27. — Al. Trussardi.

EPISTULAE

I

AD EM̃OS PP. DD. CARDINALES ET EXCM̃OS AC REVM̃OS ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS GALLIAE.

PIUS PP. XII

Nos Chers Fils, salut et Bénédiction Apostolique. — Au moment où la terrible épreuve s'abattait sur votre chère Patrie, Nous tînmes à vous dire le retentissement profond qu'une pareille calamité avait eu dans Notre cœur et la part très vive que Nous prenions à votre douleur.

Sachant bien pourtant de quelles ressources spirituelles disposait la France pour trouver, dans sa disgrâce même, l'élan vers de nouvelles ascensions, Nous vous adressâmes des paroles de réconfort et de solide espérance et Nous les avons renouvelées chaque fois que l'occasion s'en présentait. Récemment encore, voulant pour ainsi dire préluder à leur réalisation, Nous fûmes heureux de proclamer Sainte Thérèse de l'Enfant Jésus patronne secondaire de la France, avec Sainte Jeanne d'Arc, sou l'égide de Notre-Dame qui en est la patronne principale dans le sublime mystère de son Assomption. Mais voici, que devançant même toutes les prévisions humaines, la Divine Volonté s'est manifestée en faveur de votre bien-aimée Patrie, et que, déjà, l'œuvre de la reconstruction nationale reprend sur un rythme accéléré.

Aussi voulons-Nous vous dire avec quelle joie Nous vous sommes intimement uni à l'aube de cette résurrection, comme Nous l'étions au temps de la douleur et de l'abattement.

Certes, Nous n'ignorons pas que, ressuscitée, la France conserve encore les stigmates dont elle fut marquée par cette guerre dévastatrice, qui, n'épargnant ni les hommes, ni les choses, a porté l'humaine souffrance à un degré qu'elle n'avait sans doute jamais atteint dans le passé.

Cependant, tout en Nous réjouissant à constater les signes visibles des nouvelles ascensions auxquelles le Seigneur prépare votre cher Pays, Nous partageons aussi les peines qui accablent encore vos fils, présents ou absents bien loin de lui. Nous voudrions que tous, même ceux qui peut-être se croient séparés de Nous, sachent à quel point le Père Commun ressent les douleurs de Ses enfants, de tous sans aucune exception, et de quel cœur Il supplie la Divine Providence de les soulager, et de mettre un terme à de si dures et si nombreuses séparations, en accélérant le retour de la paix.

Nous voudrions surtout que, mûris dans la commune souffrance, les cœurs, loin de s'aigrir et de se resserrer, se dilatent au contraire par les voies du Seigneur dans une réciproque et fraternelle compréhension, dans la persuasion de la valeur purificatrice et rédemptrice de la douleur et de la croix. Nous voudrions enfin voir toute l'activité s'appuyer sur la base de cette authentique charité dont vous avez, dans l'épreuve, donné de magnifiques exemples et qui est indispensable pour la reconstruction d'un monde ébranlé jusque dans ces fondements.

C'est bien, en effet, un monde nouveau, qu'il s'agit de faire surgir des ruines accumulées par la présente guerre ; un monde mieux ordonné dans sa structure juridique, un monde plus équitable, plus sain, dans lequel les hommes s'attachent à supprimer les plus criantes injustices et à rechercher les motifs de rapprochement fraternel plutôt que les raisons de discorde ou de rancunes.

Problème des plus ardus, dont dépend l'avenir de la civilisation, mais qui n'est pourtant pas pour décourager l'Eglise, laquelle dispose d'institutions tout à la fois fermement traditionnelles et éminemment actuelles. Dépositaire du patrimoine de vérités et de moyens de salut transmis par son Divin Fondateur, elle fait siennes, aujourd'hui comme toujours, les paroles que l'Apôtre prononçait devant le monde païen : « Omnia possum in eo qui me confortat ». L'Eglise, d'ailleurs, peut compter sur la collaboration du clergé et du laïcat. L'un et l'autre, notamment sur la terre de France, ont montré par leur exemple ce que peut, même sur le plan humain, le dévouement capable de s'elever jusqu'au sacrifice de la liberté et de la vie, généreusement consenti pour les interêts suprêmes de la Patrie. Puissions-Nous voir bientôt, des rangs de vos splendides organisations, se lever un grand nombre de personnes, fermes sur les principes, exactement informées de la doctrine de l'Eglise, adonnées à faire pénétrer dans le domaine social, économique et juridique le véritable esprit chrétien, à assurer, par leur action civique et politique, la sauvegarde des intérêts religieux.

Puissions-Nous voir surtout, grâce aux efforts conjugués de l'Eglise, de l'Etat et des institutions familiales, la famille — milieu naturel où se développe normalement la personne humaine, et dont la guerre, hélas ! a fait une de ses grandes victimes — recouvrer au plus tôt en France sa stabilité et sa fécondité.

Cependant, ne vous lassez pas de rappeler à vos fils qu'ils ne pourront rien donner au monde que dans la mesure où eux-mêmes auront su participer à la « plénitude du Christ ». Qu'ils sachent bien que, appelés à répondre aux intimes aspirations de la société, ils n'accompliront leur

mission que selon le degré où ils seront parvenus dans la connaissance du Christ, de son œuvre, de sa doctrine, de l'Eglise qu'Il a fondée en vue de perpétuer sa vie dans les âmes.

Tout cela regarde en particulier le Clergé et les jeunes gens qui, à l'ombre du Sanctuaire, se préparent à devenir un jour le sel et la lumière de la terre. Nous n'ignorons pas, certes, de quelle sollicitude empressée vous les entourez dans vos Séminaires, avec quel zèle et quel esprit de sacrifice vous cherchez à former leurs intelligences et leurs cœurs. Aussi bien, cette sollicitude et ce zèle ont-ils été déjà, en partie du moins, récompensés par la Divine Bonté. Il Nous revient, en effet, que, malgré les très graves difficultés de l'heure, plusieurs Séminaires se sont rouverts cette année avec un nombre très consolant de jeunes candidats au sacerdoce, tout comme il Nous revient aussi que, jusque dans les camps de prisonniers, a germé plus d'une vocation. Plaise à Dieu que Nous voyons se perpétuer dans tous vos Séminaires les grandes traditions de science et de piété qui ont formé dans le passé tant de prêtres et de prélats illustres.

Veillez donc à ce que, dès les premières années, vos jeunes clercs croissent dans la science des Saints, c'est-à-dire dans la pratique du sacrifice et de la prière, et à ce que leur culture se développe dans un terrain riche et fécond.

D'autre part, étant donné que Dieu appelle ses enfants à agir dans des circonstances déterminées de temps et de lieu, de personnes et d'exigences concrètes, ayez soin en outre, de pourvoir à ce que votre Clergé, tout en demeurant immuablement fidèle aux principes, s'efforce constamment de s'adapter en toute sagesse, dans son action, aux nécessités de l'heure présente. Encouragé par votre parole et par votre exemple, il cherchera à se rendre compte de telles nécessités, en approfondissant l'étude des problèmes sociaux, d'où dépend, s'ils sont résolus à la lumière de l'Evangile et des enseignements répétés de cette Chaire Suprême, l'ascension des travailleurs à un niveau de vie plus convenable et plus conforme à l'éminente dignité de la personne humaine.

Notre Ministère apostolique Nous fait également un devoir d'attirer l'attention de Nos chers fils du Clergé et du laïcat français sur ce que l'on peut considérer à bon droit comme la souveraine condition de toute légitime et fructueuse collaboration à l'apostolat hiérarchique, à savoir la dépendance filiale à l'égard de ceux que le Saint-Esprit a placés pour régir l'Eglise de Dieu.

De cette conformité des buts et des moyens qui doit unir les Evêques entre eux et les fidèles avec leurs Pasteurs, Nous aimons tirer d'heureux

présages pour l'efficacité d'une action toute destinée au bien commun et à la reconstruction de la Patrie, toute tendue vers l'abolition de cette humaine *vetustas* que la venue du Christ sur la terre a rejetée pour faire resplendir dans la societé ces enseignements qui apportent au monde lumière et paix.

Avec plus de conviction encore qu'il y a bientôt huit ans, Nous vous redisons les paroles que Nous prononcions du haut de la chaire de Notre Dame : « Soyez fidèles à votre traditionnelle vocation ! Jamais heure n'a été plus grave pour vous en imposer les devoirs, jamais heure plus belle pour y répondre. Ne laissez pas passer l'heure, ne laissez pas s'étioler des dons que Dieu a adaptés à la mission qu'il vous confie ; ne les gaspillez pas, ne les profanez pas au service de quelque autre idéal trompeur, inconsistant ou moins noble et moins digne de vous ! »

En témoignage de très spéciale bienveillance et comme gage des souhaits ardents avec lesquels Nous vous accompagnons dans l'exécution de cette grande tâche, Nous vous donnons de tout cœur, à vous, Chers Fils, au Clergé et au peuple commis à vos soins, à la noble Nation française et à ceux qui en régissent les destinées, Notre paternelle Bénédiction Apostolique.

Du Vatican, en la fête de l'Epiphanie, 6 janvier de l'année 1945, de Notre Pontificat la sixième.

PIUS PP. XII

II

AD ILLUSTREM ET VENERABILEM VIRUM VLADISLAUM ANDERS, POLONORUM IN ITALIA MILITUM PRAEFECTUM GENERALEM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili, Illustris et Honorabilis Vir, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Ut tibi iisque omnibus, qui tecum una haud ita pridem coram admissi sunt, paternum praesentes aperuimus animum Nostrum, gratesque egimus plurimas ob muneri delatum clipeum, egregio artificio perfectum, ita placet per has litteras iterum testari vobis voluntatem Nostram, Polonorum gentis studiosissimam. Quo in clipeo, veluti uno oculorum obtutu, universam quodammodo cernimus Patriam vestram, teterrimo in praesens pervastatam bello, eius historiae glorias et egregia facinora, eius fidem invictam, eiusque erga Catholicam Ecclesiam et Iesu Christi Vicarium amorem exhaustum numquam. At aliquid etiam ex eo renidet, quod Nos, quod vos bene sperare iubet ; in argentea

siquidem aquila, quae medium hoc caelatum opus obtinet, quaeque vestrarum urbium vestrarumque cohortium quasi concluditur ac communitur insignibus, Deipara Virgo, Poloniae Regina, opifera, benigna refulget, ac populum videtur vestrum eiusque avitam terram materno amplecti patrocinio suo. Quodsi ingentiores cotidie coacervantur ruinae, quodsi adhuc res dubiae ac trepidae sunt, non est idcirco — ut probe nosti — concidendum animo; etenim supra fluxa ac caduca humanae mentis consilia ac nisus — ut Poloniae etiam historia docet — Providentissimum Dei Numen erigitur sempiternum, a quo quidem impetrandum est ut ea omnia, quae funesti errores, quae iniuriae, quae caedes, quae interneciva peperere odia, veritate, iustitia, caritateque resarciantur, redintegrentur, et ad rectum reducantur ordinem.

Haec Nos peculiari modo Poloniae vestrae ac Nostrae a Sanctissima Virgine precamur, quam in Ostrabromensi ac Czestochoviensi sacrariis singulari pietate colitis, dum tibi, dilecte fili, Illustris et Honorabilis Vir, cunctaeque carissimae Nobis Polonorum genti, caelestium munerum auspicem Nostraeque benevolentiae testem, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXVII mensis Ianuarii, anno MDCCCCXXXXV, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XII

III

AD EXCMUM P. D. BERNARDUM GRIFFIN, ARCHIEPISCOPUM WESTMONASTERIENSEM: SAECULO EXEUNTE A IOANNIS HENRICI NEWMAN REDITU AD CATHOLICAE ECCLESIAE UNITATEM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Cum proxime exeat saeculum, ex quo Ioannes Henricus Newman Britanniae totiusque Ecclesiae decus , postquam per diuturnum annorum spatium catholicae assequendae veritati anxio sollicitoque desiderio velificatus est, libens tandem ac volens admonenti vocantique Deo respondit, tu, utpote Episcopalis coetus Angliae et Cambriae praeses, observantissimas ad Nos dedisti litteras, quibus ceterorum etiam sacrorum Antistitum nomine rogabas, ut renovandae huius memoriae faustitatem una vobiscum participaremus. Quod ut faciamus non modo paternus erga vos animus Noster, non modo laetabilis res ipsa, sed rationes etiam postulant ac necessitudines, vestris a maioribus traditae, quae Anglorum gentibus

cum Romanis Pontificibus iam antiquitus intercessere. Nostis enim inde ab Ecclesiae originibus Decessores Nostros non ut externos cives, sed ut Patres amantissimos fuisse apud vos habitos; ac supernae veritatis praecones ex hac Apostolica Sede identidem in insulas vestras fuisse missos, qui christiana praecepta vel primitus inveherent, vel, decursu temporis labefactata, reviviscere iuberent et in pristinum redintegrari decus.

In hoc autem viro praeclarissimo, cuius felicem ad christianam unitatem reditum commemoraturi estis, id potissimum intenta consideratione meditationeque Nobis videtur dignum, quod totam suam « vitam impendere vero »,[1] omnique nisu atque indefatigabili labore illud asse qui studuit; et postquam catholicae doctrinae pulchritudo appetenti eius menti illustrius refulsit, non eum difficultates omne genus, non praeiudicatae opiniones rerumque iacturae, non amicorum denique indignationes retardarunt ac praepedierunt quominus adeptae veritati penitus adhaeresceret; quin immo eam ita in posterum, immotus ac sibi semper constans, retinuit, ut praecipuam totius suae vitae cursus normam redderet, ex eaque summum animo gaudium hauriret. Id procul dubio, Venerabilis Frater, peculiari quadam ratione Ioanni Henrico Newman laudi est tribuendum; quamvis nec pauca nec levia sint cetera eius ornamenta, quae profecto eius amplitudinem eiusque gloriam futurae usque aetati commendant. Quodsi « nullo ... suavior animo cibus est, quam cognitio veritatis »,[2] at cum de vera religionis doctrina agitur, quacum sempiterna cuiusque nostrum salus arctissime coniungitur, tum diligentissima atque acerrima eius inquisitio ac pervestigatio humanae mentis magnitudinem nobilitatemque demonstrat, eiusque plena possessio ampliorem felicioremque animum efficit. Huius igitur praeclari viri commemoratio non modo iis utilissimam fore reputamus, qui, in Catholicae Ecclesiae gremio commorantes, religiosae fruuntur doctrinae integritate, sed iis etiam — apud vos non paucis — qui supernae assequendae incorruptaeque veritatis studio acrius hodie sollicitantur atque impelluntur, quique ad Principis Apostolorum Sedem ad almamque Romam libera a praeiudicatis opinationibus mente respiciunt, in eademque sacra christianae religionis incunabula venerantur. Eos Nos omnes impensa caritate complectimur; iisdemque caelestia illa precamur ominamurque a Deo solacia et gaudia, quibus Ioannes Henricus Newman, post tot labores, curas anxitudinesque conquiescens, in terrestri etiam hoc exsilio feliciter tandem recreatus laetatusque est.

Interea vero proximis hisce celebrationibus vestris uberes a Deo exo-

[1] Iuvenal., *Satir.* IV, 91.

[2] Lactant., *De falsa religione*, I, 1 (Migne, *PL*, VI, c. 118).

ptantes fructus, horum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum tibi, Venerabilis Frater, ceterisque universae Britanniae Archiepiscopis et Episcopis, tum singulis gregibus unicuique demandatis, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XII mensis Aprilis, anno MDCCCCXXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XII

IV

AD EXCMUM P. D. IOANNEM DE JONG, ARCHIEPISCOPUM ULTRAIECTENSEM, CETEROSQUE HOLLANDIAE EPISCOPOS.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Dum post innumeros teterrimosque luctus, quibus etiam patria vestra tam diu affecta est, tandem cessere arma, iamque meliora videntur albescere tempora, vehementer cupimus paternum vobis per has litteras Nostrum aperire animum. Ut probe nostis, vixdum Nobis licuit, iterum ad vos Venerabilem Fratrem misimus Paulum Giobbe, Archiepiscopum titulo Ptolemaidensem in Thebaide, qui, Apostolicum Internuntium agens. Nostram apud vos sustineret personam; sed cum id amantissimae erga vos voluntati Nostrae haud satis videatur, volumus in praesens novum hoc benevolentiae Nostrae praebere testimonium, quod quidem ducimus cum vobis, tum clero populoque vestro pergratum esse obventurum.

Ut ingentes vastationes, calamitates aerumnaeque, quae per elapsos proxime annos universam fere hominum communitatem tam acerrime vexarunt, summum Nobis commoverunt dolorem, ita peculiari in maerore fuimus quod dilectissima Natio vestra — a bellico furore tam aliena, quam gentium iuribus tutandis ac paci, concordiae mutuaeque beneficentiae provehendae dedita — in immanem eiusmodi procellam rapta fuit, quae uberi eius terrae pacificoque populo tam magna intulit detrimenta. Ac non modo in patriae vestrae territorio, sed in transmarinis etiam Hollandiae terris immanes luctus, ruinas, iacturas tulistis, quibus quidem evangelicae veritatis praecones ac missionalia incepta, quae tam salutares dedere fructus maioresque in posterum pollicebantur, gravissima subiere damna. Quapropter, quotiescumque Nobis facultas fuit aliquid levaminis ac solacii vobis vestrisque civibus afferre, id libenti effusoque fecimus animo; et cum humanae opes Nostris votis voluntatique Nostrae deerant, tum vestrorum interpretes participesque dolorum ad mi-

sericordiarum Patrem et Deum totius consolationis[1] Nostras preces admovimus, ab eoque supplices contendimus ut vellet ipse angustias vestras lenire, relevare, et, ad caelestia convertens, efficere tolerabiliores.

In hisce tamen tristibus eventibus perlati ad Nos fuere nuntii, quibus quidem haud parum recreati fuimus: novimus nempe vos christiana fortitudine ac demissa divinae voluntati obtemperantia in exemplum vestratibus praeluxisse; novimus catholicae fidei integritatem sanctissimaque Ecclesiae iura strenue vos pro viribus defendisse, ac nullis curis nullisque pepercisse laboribus ut scholas, consociationes ac sodalicia vestra tueremini utque grex cuique vestrum concreditus, a falsis perniciosisque doctrinis prohibitus, ad sana duceretur veritatis pascua. Neque ignoramus paene innumeros sacrorum administros, sacratas Deo virgines, itemque ex laicorum ordine viros ac mulieres omne genus periculis Deo fidentes occurrisse, ut a rectis christianae conscientiae normis ne deflecterent.

Utique, proh dolor, vos omnes per diuturnum hoc temporis spatium eiusmodi tolerastis dolores, angustias, iacturas, quales ne prospicere quidem fas esset, qualesque, nisi miserentissimus Deus vim vobis virtutemque impertiisset, perferre ac pati procul dubio non potuissetis. Maerenti praesertim recogitamus animo plures ex vestris civibus longe fuisse a patriis laribus deportatos, ac vel in publicae custodiae locis detentos, vel ad metalla gravesque coactos labores, dum eorum necessarii procul ab eis summa afficiebantur aegritudine eorumque acerrimo excruciabantur desiderio; in quibus quidem non pauci, ex cleri etiam ordine, peracerbam subiere mortem. Ac paene Nostris observantur oculis regiones vestrae non paucae exundantibus aquis misere submersae, ibique urbes, oppida, castella, iam florentissima, in squalorem conversa. Neque sumus nescii fere ubique — in provinciis potissimum ad occasum spectantibus — asperam increvisse acerrimamque annonae caritatem. Perspectum tamen habemus plurimos ex Hollandiae filiis Nostris immanes eiusmodi calamitates eo animo tolerasse, quo Iesu Christi sectatores addecet; atque adeo eorum angores, Divini Redemptoris cruciatibus coniunctos, salutares ac frugiferos effectos esse ad commissa expianda ad Deumque sibi suisque placandum propitiandumque. Quamobrem sperare licet supernae non parum utilitatis ex teterrimis hisce malis, caelesti adspirante gratia, ortum esse ac fore, ut nempe non pauci illud assecuti et assecuturi sint de quo Apostolus gentium loquitur scribens: « Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi ».[2] Hoc enim Divinae placuit

[1] Cf. *II Cor.* I, 3.
[2] *Col.* I, 24.

Sapientiae, ut probe nostis Venerabiles Fratres, consociato labori nostro reservare in perficiendo consummandoque Redemptionis opere; quod quidem omnibus mystici Iesu Christi corporis membris prodesse potest, iis etiam quae nec debita admissorum paenitentia sensuumque refrenatione praestant, nec voluntaria consentaneaque corporis afflictatione nitent.

Habemus igitur cur vobis vehementer gratulemur cum de christiana fortitudine qua gravissimas eiusmodi acerbitates fidenti tulistis animo tum de vigilanti cura sollicitudineque, qua sempiternae gregis cuiusque vestri saluti consulere, eiusque lenire inopiam, mulcere dolores, spem erigere omni ope contendistis; ac nominatim de mirabili ea arctissimaque voluntatum coniunctione, qua vos omnes Augustae Reginae vestrae legitimaeque auctoritati fidelitatis nexibus devincti, auspicatissimum estis praestolati diem, quo vobis patriam vestram liceret, reciperata libertate fruentem, pace, concordia prosperitateque restaurare.

Attamen, ut nostis, multum adhuc agendum superest, ad quod quidem efficiendum vix attinet ut vobis vestratibusque addamus animum. Oportet imprimis ut non modo arma, sed simultas etiam et odium remittant ac quiescant; oportet ut, pacatis animis, rebusque iustitia aequitateque compositis, recta illius restitutionis reparationisque fundamenta ponantur, quibus posthabitis nullum societatis aedificium exstrui ac consistere potest. Qua quidem in re universa, vobis perspectum est quantum intersit ut christianae doctrinae praecepta in mentibus fulgeant, et in privatis publicisque moribus renideant; quantum intersit ut catholicae omne genus consociationes eaque incepta, quorum est ephemerides aliaque opportuna scripta typis edenda provehere, quam primum apud vos ad pristinum redintegrentur splendorem, ac salutifera vi virtuteque sua Civilis Societatis compagem penitus informent; itemque ut pueritia, ut iuventus, ut firmata adultaque aetas ex sacramentis, caelestis vitae fontibus — ex Eucharistia potissimum quam saepissime piissimeque sumpta — supernam vitam hauriant; quantum denique intersit ut concors civium omnium consensio ac conspiratio — divinae caritatis afflatu alita — ea omnia in animis, in rebus restaurare enitatur, quae bella, quae discordiae, quae simultates miserrime diripuere ac deturbarunt. Caritatem praesertim, Venerabiles Fratres, omnibus enixe commendamus quae una in praesentibus rerum angustiis tot calamitatibus ac malis mederi potest; quamobrem nullo meliore modo putamus finem posse Nos hisce litteris facere, nisi Ioannis Apostoli iterando verba: « Filioli, diligite alterutrum ».[3]

[3] Cf. S. Hieronym., *Com. in Ep. ad Gal.* II, 5; *PL*, XXVI, col. 462.

Caelestium interea munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum vobis, Venerabiles Fratres, tum gregibus vobis demandatis Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XII mensis Maii, anno MDCCCCXXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XII

NUNTIUS RADIOPHONICUS

a Summo Pontifice, die 17 mensis Iunii a. 1945, christifidelibus datus, ob centenaria sollemnia Sodalitatis a precationis apostolatu in Basilica Urbis Parisiensis Ssmo Cordi Iesu dicata coadunatis.

